

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

ptius dici ac cogitari possit, quam vt verbum euangelii de filio suo dilectissimo, ad totum genus humanum pertingat, ac agnitio exinde deriuanda, ad omnes propagetur gentes, vt miserimi peccatores, cum Deo reconciliati salutem aeternam consequantur.

§. XI. Hunc Spiritum S. his verbis intendisse sensum, nullum est dubium; rem vero omnem liquido edocebit textus *συνάφεια*, si quae eum antecedunt, & consequuntur, considerauerimus. Antecedentia enim quando attendimus, deprehendimus, apostolum *com. 12.* exordiri ministerii sui apologiam, dum fusius enarrat, quem fructum & effectum euangelium, quod in Asia praedicaauerat, habuerit. Hoc feliciter ac salutariter administrati muneris tropaeum esse, & monumentum longe splendidissimum, agnoscit, quo re ipsa deprehendat, suos labores non irritos fuisse. Ideo subsequenti *com. 14.* gratias Deo persoluit, quod per gratiam ipsius, omnia omni tempore obstacula & impedimenta, quibuscum colluctandum fuisset superauerit, adeo, vt agnitio Summi Numinis, & Iesu Christi, mediatoris Deum inter & homines, sit tanquam bonus odor, sua  
opera

opera ex euangelio vbique sparsus. Totus enim in eo verlatur apostolus, vt concionem euangelii rite defendat, contra omnes maleuolentium obrectationes, quo suis auditoribus firmiter hanc thesin imprimat, euangelium de Christo, quod ipse praedicabat, non esse recens hominum inuentum, aut futile commentum aliquod, sed verbum vitae, ab ipso Christo, tanquam fonte proficiscens, in quo vnice salus quaerenda, non vero in lege iram & poenas comminante. Hinc *com. 15.* vltius progreditur Paulus, & causam subiicit eorum, quae antea dixerat, vt corroboret, quisnam fons & origo sit, quod odor agnitionis Christi manifestatus, nullus certe alius, quam Christi *εὐωδία*; quod causalis particula *ὅτι* indicat. Ne vero exceptioni vllum relinquat locum, *euangelium non ab omnibus recipi*, subiicit, quocunq; modo euentus cadat, esse, & manere tamen euangelium, *εὐωδίαν χριστοῦ*. Maxima cum parrhesia, affectuque laetitia & spei impletus, ob Corinthiorum emendationem, haec omnia proponit.

§. XII. Haec certius constabunt ex iis, quae sequuntur *com. 17.* vbi apostolus suam

C

in